

Q. CALABRI

PARALIPOMENON

HOMERICORUM

LIBER I.

A PAULO TARENGHI ROMANO

Latinis versibus expressus.



R O M A E

Ex Typographia Aloysii Perego Salvioni

anno CHRISTI M. DCCC.

Cum facultate.

E L E G I A

CELSISSIMO, AC REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

FRANCISCO XAVERIO

EX ANTIQUIS COMITIBUS

DE SALM REIFFERSCHIED

EPISCOPO GURCENSI,

Nec non Salisburgensis, Coloniensis,
Argentoratensis, Holomutiensis Capi-
tulum Canonico &c. &c. &c.


S A C R A.

*Et nemus, et fontes, et amabilis otia ruris,
Et vaga per liquidos quæ strepit aura lacus,
Felicesque Tuo sub numine Palladis artes,
Quarum luce nitet Salmia clara domus:
Excepere meas, Francisce verende, Camenas,
In freta quas Gallus truserat atra furor.*


Hinc dulces tanta letatae sorte sorores,
 Carmina majori concinuerunt tuba.
 Robur Amazonidum, pugnatamque Penthesileam
 Non aequis ausa bella tonare Deis.
 Votaque Dardanii frustrata miserrima Regis,
 Et lacerum Phthio Virginis ense sinum.
 Tydidemque trucem, letumque Podarcis, et acres
 Ajacis motus, Iliadumque minas.
 Iratumque fero Maeurtis numen Achilli,
 Magnanimis omen flebile Myrmidosin.
 Turpia Thersitae tum funera, tumque cadentes
 Hinc Danaos, illinc, agmina densa, Phrygas.
 Denique Reginae, comitumque sepulcra jacentum,
 Trojanisque datos, Graeugenisque rogos.
 Omnia quae Graeco licuit de litore, Princeps,
 In Latium per Te germina ferre solum.
 Quare jure Tuo liber hic sacratur honori
 Sub Lare, sub tantis conditus auspiciis.
 Martia quin patriam repetam si mania terrae,
 Quae Tibi de septem plaudere visa jugis,
 Urgeor, incendorque Tuae dare carmina laudis
 Officiosa, licet qualiacumque fluant.
 Scilicet in media conclusus luce Quiritum
 Quid posses patuit mente, quid eloquio:
 Cum modo purpureus dicentis ab ore Senatus,
 Et modo penderet juris alumna cohors:

Versaque Romuleas Germania mater ad arces
 Clamaret: quali munere, Tybris, ovas!
 Sed Te præcipuo Pater est amplexus amore
 Maximus, ille Dei Sextus, et orbis amor,
 Ille Pius Galli qui fudit inermis acervos
 Militis, et Stygias morte subegit opes:
 Qui Tua sollemni devinxit pectora voto,
 Leviticique bonus duxit in arva gregis.
 Teque Sacerdotem Summus dedit esse Sacerdos
 Imbutum sacri chrismatis unguinibus:
 Jussit et humana pretium tractare salutis.
 O Tibi devoti pignora certa sinus!
 Singula quid referam? quanti Te fecerit! et quot
 Juverit alloquiis! juverit officiis!
 Hoc dixisse satis, Te prolis ad instar amasse,
 Et prolis ritu Te coluisse Patrem.
 Interea cæco raptas e gurgite Musas
 Splendidus illustres, propitiusque bees.
 Quas patrocínio si foveris unus amico,
 Omni livor edax, nil moror, ore fremat.




Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere Virgo.

Virg. Æn. lib. I. v. 494.





Q. CALABRI

PARALIPOMENON HOMERICORUM

LIBER I.

Ut Dîs a forti par occidit Hector Achille,
Absumpsitque virum, penitusque vorata cremavit
Ossa rogos, Priami servabant oppida, corda
Pelidæ veriti confidentissima, Teucri.
Ceui capita horrendum contra jactare leonem
Inter lustra negant trepidi formidine tauri
Crebra catervatim profugæ per vimina silvæ.
Sic acri gens illa duci se subtrahit urbis
Per muros, ferro repetens quot frægerit olim
Ripas Idæi lustrans immane Scamandri,
Quotque neci refugos dederit sub mœnibus, et quî
Straverit, et lucem raptaverit Hectora Trojæ.
Nec minus indomito quot vicerit æquore gentes,
Iliacas bello cum primum perderet oras.
Talia volvebat, patriaque hærebat in urbe:
Lamento sedenim circum omnia pulsa sonabant,
Non secus ac miseris arderent Pergama flammis.

Ecce autem lati se Thermodontis ab amne
Penthesilea, Deæ non impar ore, ferebat:
Luctificæ diro tum pulsa cupidine pugnae,
Tūque dolens, graviterque nota pudibunda nefanda.
Jurgia ne patrio metuens ingrata sub axe
Ferret, ob Hippolytam curis labefacta sororem.
Scilicet hanc valida trajecerat illa sagitta
Non facinus meditata, feram rata figere telis.
Quo super insignes Trojæ tendebat ad arces.
Nec minus impulerant huc Martia corda ferocem,
A macula cædis quo lustraretur iniquæ,
Terribilesque sacris placaret Erinnyas actis,
Protinus extincta quæ subrepsere sorore
Torquentes miseram. Furiaë nam sontis oberrant
Nocte dieque pedes, nec fas vitare nocenti est.
Bis sex unâ aderant præstantes viribus omnes,
Omnes armorum cupidaë, Martisque maligni:
Turba ministrarum, claris licet inclyta factis,
Ante alias longe fulgentis Penthesileæ.
Ceu convexa poli splendet per aperta profundî
Sidereas inter Phœbe nitidissima flammæ,
Horrisonis pateat si quando in nubibus æthra.
Inter Amazonias sic prænitet illa phalangas,
Cui comes it Clonie, Polemusaque, Derioneque,
Evandre, Antandre, nec non et dia Bremusa,
Hippothoe, Harmothoe præfulgens lumine glauco:

Quas super Alcibiæ, Antibrote, cum Derimachia,
Thermodossa quibus præstans adjungitur hasta.

Tot forti comites hærebant Penthesileæ.

Qualis inexpletum delabitur axe voluto

Mortales roseis hilarans Aurora quadrigis:

Flavicomæ stant circum Horæ, queis candida quamvis

Membra nitent, omnes tamen illa nitentior anteit.

Talis ad Iliacos advenit femina muros

Inter Amazonidas clarissima. Confluit omnis

Dardana gens circum glomerata, stupetque tuendo

Marte satam indomito vinctam alte crura cothurnis,

Adspectuque Dææ similem: quippe ore sedebat

Terrificis immixta notis lætissima forma

Pelliciens risu mentes: sub fronte micabant

Candenti, radii quales, vaga lumina circum:

Infectæque rubore genæ, quas alma juvabat

Gratia virtutem, atque animos accensa viriles.

Ergo hilaris curas solatur Troja priores.

Ac velut e summis adspectant montibus Irin

Ruricolæ undanti surgentem marmore late,

Cum poscunt imbres, cælestia munera, cumque

Gleba Jovem pluvium sitientibus expetit herbis:

Nubibus obducto tandem nigrantibus axe

Exsultant, bona signa, Notos, cælumque tuentes

Imbriferum, fuis per campos ante querelis.

Sic acri visa gaudebant Penthesilea

Trojugenæ patriis in mænibus arma fremente .
 Nam bona spes simul affulsit mortalibus ægris ,
 Protinus ingrataë pelluntur pectore curæ .

Hinc etiam Priami gemitu concussa vigere
 Visa parum , magnoque exercita corda dolore .
 Luminibus ceu qui cæcis mala passus iniqua ,
 Alnum optans haurire diem , condive sepulcro ;
 Seu medica curante manu , seu numine , pulsus
 Ex acie tenebris , cælo radiante fruatur ,
 Non solito , tenui sed mens tamen ægra vigore
 Erigitur , quamvis oculis dolor improbus altis
 Hæreat : egregiæ sic Laomedontia proles
 Adspectu exiguum lætatur Penthesileæ :

Tristior a natis indigna cæde peremptis .
 Ergo sublimes Reginam ducit in ædes ,
 Utque parens gnatam , sic excipit ille remoto
 Quatuor exactis reducem de litore lustris .
 Splendidaque instaurat convivia , qualia magni
 Læta solent Reges festis apponere mensis ,
 Hostibus exsultant cum , Marte favente , subactis .
 Mox operis miri dat dona insignia , multo
 Pluribus aucturus , modo Pergama fessa juvaret .
 Illa autem secum non ulli audenda revolvit :
 Sternere Peliden ferro , atque effundere turmas
 Innumeras Danaûm , classemque exurere flammis .
 Demens ! quæ nondum quid cuspide posset Achilles

Noverat, et miseris quantum præstaret in armis.

Quam simul egregii stirps audiit Eetionis
Andromache, tacito sub pectore talia versat.
Heu quid tanta sinu jactas, miseranda, superbo,
Viribus Æacidæ contendere viribus impar?
Ille tibi pestemque ferox, cædemque parabit
Protinus, infelix. Quæ mentem insania torquet?
Næ te summa dies, numenque fatigat iniquum.
Hector quippe tuis longe præstantior armis
Ense viri jacuit fortis licet, et mala Teucris
Magna tulit, cunctis habitus ceu numen in urbe.
Nec laus parva mihi, sanctisque parentibus, illo
Incolumi: atque utinam tellure reposta sub alta
Nescissem mentum quæ figeret hasta cadentis!
Nunc oculis hausi crudelem perdita cædem,
Præcipites victoris equi cum Pergama circum
Raptarent immane virum, cui nupta sacravi,
Virginitas, tua jura: dolor qui maximus ævi est.
Ista viri secum non immemor Eetionis
Filia pulcra. Gravis nam castas cura remordet,
Conjugibus diro sublatis funere, matres.

Interea rapido Sol vertitur orbe patentis
Oceani stagna alta petens, lumenque recedit.
Cum, mensis dape jucundis, vinoque remotis,
Audaci blandum stravere cubile puellæ
Regalis tecti sub fornice Penthesileæ.

Illa jacet, lenisque quies illapsa recondit
 Lumina: tum fuscæ demissa per ætheris axem
 Somnia venerunt fallacia, Palladis astu,
 Quorum Trojugenis adspectu damna, sibi que
 Ferret in arma nimis lymphata mente ruenti.
 Atque hæc bellorum Tritonia gnara movebat.
 Olli læva suum referentia visa parentem
 Instabant, audax ut in arma vocaret iniqua
 Æaciden cursu rapidum: quo femina monstro
 Exsultat gestitque ferox, rata lumine tali
 Egregiam duro ferre in certamine laudem.
 Demens! quæ miseris prima sub nocte profectis
 Fidit imaginibus, queis mos est ægra cubantum
 Mulcere, et falsis deludere pectora formis:
 Ad pugnas illam ceu deludere vocando.

Inde ubi lata redit roseis Aurora quadrigis,
 Penthesilea furens animis, et viribus audax
 Emicat e stratis, humerisque accommodat arma,
 Mirum opus, et Martis gratissima dona parentis.
 Ac primum suris ocreas candentibus aptat
 Auro intertextas, habilesque; hinc pectora circum
 Induitur varium thoraca, et subligat ense
 Fulmineum tergo exsultans, perfecta elephanto
 Quem tegit, argentoque nitens vagina corusco.
 Sustulit et clypei par textum nobile Phœbes
 Cornibus, Oceani cum stagnis orta profundis

Dimidio cæli per campos enitet orbe .
Tale illi decus eximium : capiti inde comantem
Imposuit cristis galeam fulgentibus auro .
Luctificis sic illa ferox accingitur armis
Fulguris instar habens , mediis quod nubibus acri
Dextra tellurem Genitor contorquet ad imam :
Jamque volans pluvias infert mortalibus atras ,
Murmura seu Cauri ciet irrequieta sonori .
Exin , regali properans excedere tecto
Condita bina rapit sub curva spicula pelta ,
Et gravat ancipiti dextram spectanda bipenni ,
Quam dat Erinnyis atrox belli tutamen iniqui .
Hac levis exultans e turribus avolat urbis ,
Inclytaque Iliacas accendit ad arma phalangas .
Jamque duces lecti coeunt , parentque jubenti ;
Ante licet forti deterrerentur Achille ,
Omnia qui valida leto dabat agmina dextra .
Illa tumet nimium jactans decus : alta tumentem
Portat equus cursuque volans , et corpore pulcher ,
Quem Tracum invisens olli dedit oppida quondam
Hospitii Boreæ conjux memor Orityia ,
Harpyiasque inter præstabat honore volucres .
Hunc ubi conscendit se fortis proripit urbe
Penthesilea ; graves ast illam in prælia Parcæ
Urgebant , ut prima forent , utque ultima victæ .
Multa comes duræ Teucrûm cædenda caterva

Turpia in arma ruit . Ceu qui , curante magistro ,
 Ducit oves aries , omnem præit ordine turbam .
 Sic Dominam comites audentes magna sequuntur
 Trojugenæ fortes , fortes et Amazones armis .
 Utque Minerva feris congressa Gigantibus olim ,
 Aut per castra ciens demens Discordia turbas ;
 Dardanidas acris sic inter Penthesilea .

Tum vero miseris infracta laboribus æger
 Laomedontiades attollens brachia Patri ,
 Versus ad Idæi Jovis ardua templa precatur
 Supplice voce Deum , cujus sub numine Troja est .
 Adsis , o Genitor , felix , Argivaque Virgo
 Castra sinas valida jam perdat Martia dextra ,
 Incolumisque meos repetat servata penates :
 Seu te Mayortis decus excitat , et grave robur
 Nati , seu speciem referens movet illa Dearum ;
 Tanta tuo genitam nam prodit sanguine forma .
 Tum nostri miserere sinus , qui damna , perempta
 Prole , nefanda tulit , duro quæ numine sortis
 Unâ rapta , manu Grajûm jacet icta sub armis .
 Dardania miserere , Pater , de stripe nepotes
 Dum pauci numero , dum Dardana regna supersunt :
 Cædibus ut miseris , belloque levemur acerbo .
 Talia magna petens dabat , et stridentibus alis
 Expiraturam constringens ungue columbam
 Læva parte ruit Jovis armiger : horruit alto

Corde senex, nec se visurum luce fruentem
Præcepit reducem certamine Penthesileam :
Quod fatis jam jam complentibus , ille dolebat .

At procul Argivûm densæ stupuere catervæ
Agmina spectantes Trojana simillima monstris
Lanigeros frodente greges in monte sequutis .
Ipsa adeo visa est par igni Penthesilea .
Cum virgulta furit propulsus in arida Cauris .
Hinc aliquis socios affatur voce coactos .
Nam quis Dardanias cæso ciet Hectore turmas ,
Non occursuras quas inde putavimus ultra ?
Ecce autem incenso rapiuntur Martis amore .
Credo equidem medius quis pellat in arma phalangas
Quem Superûm de gente putes , cum tanta revolvat .
Verum agite o nostras firmet fiducia mentes :
Quisque suum revocet robur : nam non sine Divûm
Numine cum Teucris nunc est certamen habendum .
Dixerat , et rutilis jam quisque refulget in armis
Emicat et celsis ardens virtute carinis .
Nec mora concurrunt in prælia dura , ferarum
More , truces , armis coeuntque nitentibus , hastis ,
Loricis , valido taurorum e tergore parmis ,
Et gravibus galeis : levi se mutua pulsant
Impavidi ferro , rubet Ilia cædibus ora .
Penthesilea necat Molonem , Persinoumque ,
Ilissum , unâque Antitheum , Lernumque vigentem ,

Ippalmumq., atque Æmoniden, fortemque Elasippū.
 Derione sed Laogonum, Clonieque Menippum
 Dejicit: hic Phylacæ comes olim Protesilao
 Hæserat Iliacis avidus concurrere turmis.

Cæde viri exarsit furiata mente Podarces
 Iphicli proles, magno cui junctus amore:
 Nec mora, magnanimam Clonien petit, et gravis hasta
 Transadigit miseræ ventrem, subitoque remixtus
 Prosilit ære cruor, sunt et præcordia fusa.
 Penthesilea furens longo ingruit ære Podarci,
 Infigitque virum quæ dextræ crassior extat
 Musculus, inflatas et rumpit sanguine venas.
 Vulnus hiat, sequiturque recens e vulnere tabum.
 Ille gemens retro dejectus cedit ab ictu:

Cedentem querulo Phylacenses ore requirunt.
 Ast ubi submotus paullum concessit ab armis
 Actutum sociorum animam profudit in ulnis.
 Nec minus Idomeneus longo ferit ære Bremusam
 Exsertæ torto mammæ, cui corda resolvit.
 Sternitur infelix ceu fraxinus alta, colonis
 Quæ summis excisa jugis trahat horrida secum
 Murmura, et immani nemus intonet omne fragore.
 Sic cadit illa gemens, et deficientia leto
 Membra resolvuntur, miscetur spiritus auris.
 Evandren mox Meriones, et Thermodossam,
 Dum per bella ruunt gaudentes cæde, peremit,

Corda huic effodiens hasta, huic mucrone sub alvum
 Infixo, geminæque fugit de corpore vita.
 Derionen genitore satus prostravit Oileo,
 Cervicis dura trajecto cuspide nodo.
 Alcibiæ sed Tydides, et Derimachiæ
 Letifero ex humeris unâ cum vertice ferro
 Colla tulit. Vitulæ quales cadit utraque, durus
 Quas ictu juvenis vitalibus eximat auris,
 Cervicis valida scissa compage securi.
 Sic hæ Tydidæ dejectæ robore, Teucrûm,
 Vertice distracto, jacuere in litore trunci.
 Tum Sthenelus fortem fœdavit cæde Cabirum.
 E Sexto quo bella furens inferret Achæis
 Venerat ille suas nunquam rediturus ad oras.
 At Paris extincto furiis incensus amico,
 In Sthenelum vibrat stridentia spicula toto
 Corpore connixus; nec vulnere læsus abivit
 Ille tamen, sed eo venit letalis arundo,
 Quo duræ lævo rapiebant numine Parcæ:
 Ærato insignem figens Evenora balteo
 Dulichia in Teucros ex urbe ad bella profectum.
 Non tulit hanc cædem Phylides acer, at hostes
 Irruit in densos, pecudes invadit inertes
 Quale leo, trepidantque viri fera robora turmæ.
 Sternit ibi Itymonea, atque Hippasiden Agelaum
 Mileto eductos, Danaisque extrema minantes;

Et pariter Nasten bello, Amphimachumque potentes,
Qui Mycalen, quique alba tenent Titania saxa,
Et longas Branchi valles, actamque Panormi,
Mæandrique sinus alti, quem Caria tellus
Vitifera ex ovium Phrygia nutrice fluentem,
Dum stringit varia ripas ambage, receptat.
Nec minus ista Meges, quam cætera corpora bello
Dejecit nigro quot telo cumque subivit:
Audaces animos olli Tritonia namque
Sufficit, infesto quo funera comparet hosti.
Belliger hinc leto Dræseum dat Polypætes,
Thiodamanti olim quem dia Neæra creat
Mixta viro Sipyli gelido sub vertice montis,
Saxum ubi Dî Nioben fecere, ubi copia fletus
Rorat adhuc miseræ rigido de pumice fusi.
Unâ rauca gemunt Hermique fluenta sonantis,
Et Sipyli longe porrecta cacumina, circum
Quæ nebulæ, exitium pastoribus, usque vagantur.
Illa viatori rerum miracula pandit:
Femina namque gemens jacet, et præcordia luctu
Fracta truci, fletuque tepet consumpta perenni.
Nec vero vanum quid tale fatebere, longe
Si modo prospicias: sin autem accesseris ante
Arduus apparet scopulus cum fragmine montis.
Vindicis illa graves sic haurit numinis iras
Inter saxa gemens, atque egerit ore dolores.

Ast aliis alii per mutua vulnera leto
Sternuntur : sævit dira undique et undique Turba ,
Quam prope funereæ laceris stant crinibus Horæ :
Circum Parca furit , cædemque intentat acerbam .
Plurima tunc surgunt in pulvere funera Teucris ,
Argivisque : sonant ululatibus omnia , quando
Nescit Amazonidis robur furiale remitti :
Sed veluti lymphata boves in monte læna
Consequitur longo vallis per saxa profundæ ,
Faucibus optatos ardens haurire cruores :
In Danaos Virgo sic Martia funditur hostes ,
Attonita retro vestigia mente ferentes .
Urget at illa , citas ceu fluctus in æquore puppes
Horrisono , validis cum candida carbasa venti
Implent flaminibus , pelluntque : elata per altum
Undique saxa gemunt , orisque exuberat unda .
Tale sequuta globos prorumpit femina Grajûm ,
Queis super effusis minitatur acerba cachinnis .
Laomedontiadæ nunc nunc commissa luetis
Fæda , canes , nemoque meis dilapsus ab armis
Aut patribus caris , aut natis , conjugibusve
Exoptata redux referet solatia , cæde
Sed misera stratos volucresque , feræque vorabunt :
Nec congesta super teget atra cadavera tellus .
Quo jam Tydidæ ? quo virtus cessit Achillei ?
Quo Telamone sati ? nam non his fortior heros

Fertur : at armati mecum concurrere nunquam
 Audebunt , animis ne dissociata relinquunt
 Corpora . Plura ferox nec fata invadit Achivos
 Viribus haud impar Parcae , multosque trucidat ;
 Ancipitem quassans nunc indignata bipennem ,
 Telaque per densum torquens nunc agmen acuta .
 Nam maculis variis pharetram gestabat , et arcum
 Letalem sonipes certandum ubi forte sagittis
 Vulnificis , arcuque foret . Gens juncta furenti
 It fera , pugnacis consanguineique , sodalesque
 Hectoris , indomitum spirantes pectore Martem .
 Qui Danaos hastis figebant levibus : illi
 Quale cadunt frondes , guttæve ex imbre cadebant
 Innumeri : gemitus ingens dabat undique tellus
 Sanguineis infecta notis , et cæde gravata .
 Nec minus alipedes hastis , jaculisve petiti ,
 Hinnitu vires fundebant ore supremo ,
 Inscriptisve nigro trepidabant pulvere malis :
 Teucrorum post terga premens quos agmen equorū ,
 Ut sordes , multa lapsos in cæde terebat .
 Tum quis læta fovens miratur pectore Teucrūm ,
 Bacchantem sævis ut Amazona vidit in armis ,
 Oceani velut atra furit per aperta procella ,
 Ignea cum Solis vis Capri ad signa recurrit .
 Idem audax hæc voce refert spe lusus inani .
 O socii , nunc vera patent ex æthere lapsæ

Nobis ora Deæ , quæ bello damna Pelasgis
Inferat , et Trojæ , Jove sic volvente , juvet rem .
Scilicet hunc Priami crudelia fata potentis
Forte movent summo Patris de sanguine nati .
Non etenim mortale aliquid hæc femina , quando
Tanta animo versat , tam splendida sustinet arma ,
Sed Pallas potius , trux aut Bellona putanda est ,
Aut Lis , aut clarum Virgo Latonia germen .
Hinc suprema , reor , Danais hac luce parabit
Fata , ratesque globis dabit exitialibus ignis ,
Queis Trojam advecti quondam tot iniqua malorum
Intulerunt miseris , summam et cum Marte ruinam .
Sed non ad patrios dabitur remeare penates ,
Solarique suos : nam dextera numinis hac stat .
Sic alacer Troum quisquam de gente locutus .
Insanus ! neque enim ingruerent quæ plurima vidit
Damna sibi , Teucrisque , atque ipsi Penthesileæ .
Horrida nondum etenim certamina senserat Ajax
Magnanimus , nondum murorum eversor Achilles :
Sed cari tumulum Patrocli servabat uterque
Fusus humi , sociique memor : dolor altus agebat
Diversos alios : Deus hos averterat hoste .
Scilicet ut misera Grajùm plebs icta periret
Cæde , manu Teucrùm , seu forti Penthesilea :
Quæ furibunda ruens meditatur dira , sub alto
Corde feræ gliscunt vires , animique procaces :

Irrita tela jacet nunquam, fugientia figit
 Sed modo terga, modo venientia pectora contra,
 Et toto tepida rubet illita corpore cæde.
 Ipsa agiles artus quatit irrequieta, nec acris
 Corda remittuntur adamantina fracta labore.
 Hos etenim nondum Parca invidet atra triumphos,
 Sed procul a pugna recubans latura superbit
 Exitium, fixumque fovet mox Virginis hastæ
 Corpus Achilleæ sternendum tradere, sese
 Occulit hinc densa circumdata nocte, nec ulli
 Visa ducem stimulis in bellum pellit acutis:
 Interea crudele parat sævissima funus,
 Supremumque decus. Virgo huc bacchatur et illuc.
 Qualis in irriguum si quando irruerit hortum
 Pabula grata petens dulci sub vere juvenca:
 Nunc hac, nunc illac, nullo custode, vagatur,
 Florentesque novo populatur germine plantas,
 Has avido dum dente molit, pede proterit illas:
 Talis in Argivas irrumpens femina gentes,
 Hos hausit ferro, magna hos virtute fugavit.

At procul attonitæ mirantur Troades altæ
 Facta ducis: tum bella ferox fremit Hippodamia,
 Antimachi proles, vinclisque jugalibus acri
 Juncta Menepolemo, magno quæ concita motu
 Sic alias fidens affatur, ut horrida secum
 Arma ferant, audax nimium nimiumque puella.

O sociæ , durate animos virtute , virorum
In morem , patriæ quos , atque incensa parentum ,
Uxorūque rapit per belli cura tumultus
Non ullo fractos discrimine . Viribus ergo
Nos quoque fidentes inimica ruamus in arma .
Non etenim juvenum nobis non additus ardor ,
Robore sed fultæ non inferiore valemus ,
Suntque pares oculi , sunt genæ , et cætera quæque :
Et jubar haurimus , liquidas et carpimus auras
Jure pari , atque epulis queis ipsi vescimur . Ecquid
Ab Jove majus habet juvenis , fugienda putemus
Nos ut bella ? Viris annon præstabit Amazon
Illa , domus nostra cui non in gente , nec urbis
Proxima tecta suæ ? quæ bello fervida Regis
Rem juvat externi , nec mascula corda moratur ?
Tanta subest animo virtus , ardentque furores .
Nos alii ex alia circumstant parte labores .
Huic dulces nati , conjux huic oppida circum
Cæditur , utque aliæ lugemus dira parentum
Funera , sic fratres aliæ , carosve propinquos
Triste gemunt , magno nec jam caret ulla dolore .
Quin etiam ingrati fors flebilis hora propinquat
Servitii : fessæ rerum , atque extrema ferentes
Mavortis celeremus opus : per tela , per hostes
Occubuisse juvat , quam , sorte premente maligna ,
Urbe data flammis , absumptis cæde maritis ,

Captivas alibi parva cum prole teneri .
 Sic ait , et socias incendit Martis amore .
 Jamque adeo sumptis portas evadere in armis
 Præcipites ardent , urbique , suisque futuræ
 Auxilio : tanti gliscunt in pectore motus .
 Sicut apes denso miscent alveare susurro ,
 Frigoribus pulsis , cum pascua verna , favorum
 Exosæ crates , repetunt , abiturumque vicissim
 Urgent . Sic avidæ bellorum Troades acri
 Sese corde cient , penso calathisque remotis ;
 Instructæ coeunt jam jamque in prælia telis .
 Illa quidem patria jacuisset turba sub urbe
 Inter Amazonides , atque agmina cæsa suorum ,
 Ni prudens hoc orsa loqui sermone Theano
 Impete frænasset , cæcaque cupidine raptas .
 Classica quid , miseræ , lugubre strepentia mentes
 Præcipitant , bellique labor rapit improbus ? usus
 Quas non armorum , non intolerabile Martis
 Firmat opus ? Pugnæ discrimina magna futura
 Ignaras inter belli , gnarosque Pelasgos .
 Gaudet equis , juvenisque ferox certamen Amazon
 Curat , obit quæ digna viris sunt munia , quare
 Horrida signa trucis nunquam non Martis anhelat :
 Auxilium nec poscit iners a milite , quando
 Ipsa magis virtus , poplitesque labore vigescunt .
 Illa autem cunctis quæ prænitet edita Marte est ,

Qua cum femineos haud fas contendere cætus .
Et quis forte Deûm præsens juvat arma precantum .
Est hominum generi , fateor , communis origo :
Omnibus officium sed non commune . Quod artis
Est opus , hoc aliis præstantius omnibus . Ergo
Tristia terrificæ ne quærite murmura pugnæ ,
Argutoque domi percurrite pectine telas :
Linquite bella viris , et nostris dextera rebus
Spes meliora feret : nam multa cæde Pelasgûm
Agmina fracta cadunt ; Teucrorum sed viget auctum
Robur : nec nobis mala nunc suprema timenda ,
Cum nondum hostis atrox circumstet mœnia , nec dū
Femineas in bella vocent fata aspera turmas .
Hæc memorat , meliorque senis sententia visa est .
Hinc pugnam longe spectarunt : Penthesilea
Quippe novis instat fera cædibus , et tremit omnis
Grajugenûm gens , nulla salus cui jam patet , instar
Balantum molitæ diro sub pardalis ore .
Nec jam bella cupit , sed amicum turba regressum
Huc properans illucque : humeris pars projicit arma
Pulcra solo ; pars arma tenet : non rector habenis
Palantes compescit equos : hinc gaudia ovantes ,
Hinc gemitus victos habet ingens , ulla nec ultra
Spes opis est miseris ; sed quotquot in agmine primo
Occurrunt pugnæ crudeli devovet Orco
Illa ferox . Veluti stridens immane procella

Fæta Notis , has flore novo radicitus altas
 Stravit humi plantas , has caudicis orbe superne
 Dispulit effracto , ramis utcumque relictis .
 Grajugenûm sic inulta phalanx in pulvere fusa
 Numine fatorum , ferrove Viraginis hæret .

Ecce autem Teucris cum classis Achaica flammis
 Incendenda foret , Telamonius audiit heros
 Murmur triste sonans : his ergo affatur Achillem .
 O Pelei stirps alta , meas circumstrepit aures
 Ingens , quale ci ent ferventia prælia , murmur .
 Hinc improvise ne Grajos agmina Teucrûm
 Ad naves cædant , classique incendia mittant ,
 Unde pudor nobis , et turpia probra , ruamus .
 Non etenim summo par est a Numine natos
 Dedecorare sacrum patrum genus , inclyta qui jam
 (Laomedon tunc jura dabat , comes Herculis illis
 Vis erat) infestis verterunt Pergama telis ,
 Ceu nostris , nec vana reor , de culmine dextris
 Eximia claris virtute revulsa jacebunt .
 Hæc Ajax , et dicta lubens excepit Achilles ,
 Flebile murmur item cui jam pervaserat aures .
 Nec mora , ubi raptis protectus uterque sub armis
 Splenduit , adverso se fervidus obtulit hosti .
 Arma procul crepitant insignia : tum furor acres
 Talis agit , qualis se Mavors . Ægida quassans
 Tantas indiderat vires utrique Minerva .

At gemini adspectu regis lætantur Achivi .
Sicut Aloidæ duri , qui culmina quondam
Ardua jactarunt lato superaddere Olympo ,
Ossamque aeriam , scopulis et Pelion altis :
Scilicet immensum cupidi conscendere cælum .
Tales Æacidæ steterunt sæva agmina contra ,
Magnum Grajugenis solamen aventibus , ambo
Protinus hostiles ardentis perdere turmas .
Ergo crebra cadunt a fortibus agmina telis .
Quale duo tauros soliti mactare leones
Armentum nacti per saltum pingue trucidant
Incustoditum caris pastoribus , atro
Complerint vastos dum sanguine ventris hiatus .
Innumeras leto sic stravit uterque catervas .
Deichum ibi , atque Hyllum tulit Ajax ære ferocem ,
Incensum bello Eurynomumque , et Enyea dium .
Antandren sed Pelides necat , et Polemusam ,
Antibroten , atque Hippothoen virtute decoram ,
Quas super Harmothoen , implens loca cædibus : illo
Segnior haud Ajax interritus : agmina jamque
Invictis conferta ruunt , licet acria , dextris ,
Actutum , faciliq̄ue necata labore : furenti
Ceus si pulsa Noto montani per juga saltus
Flamma revolvatur , silvamque absumat opacam .
Quos ubi bellatrix in prælia , more ferarum ,
Horrendos ferri persensit Penthesilea ,

Obvia utrique ruit trucidis instar pardalis alta
 In silva, miseris inhians quæ stragibus, atram
 Terribili caudam motu quatit, inque ruentes
 Ære gravi pectus protectos emicat hostes:
 Turba manet strictis fidens hastilibus. Ac rem
 Sic gemini elatis heroes Amazona telis
 Stant contra, motisque sonant ex artibus arma.
 Principio longum torquens hastile Virago
 Pelidæ magnos clypei pertingit ad orbis
 Nequidquam, subito nam cuspis fracta resultat.
 (Scilicet hæc olim cælestia dona magistro
 Vulcano perfecta) Manu mox altera tela
 In Telamoniaden fera conjicit, hisque minatur.
 Vana licet dextra cecidit dilapsa sagitta,
 Vestra tamen subito cum robore vita jacebit,
 Pectora jactetis quamquam fortissima Grajûm,
 Et solamen equum domitores inde manebit
 Oppressos belli duro sub pondere Teucros.
 Sed mihi pugnanti concurrite comminus, et jam
 Noscite Amazonides quales, quantæque vigescant.
 Martia nam generis mihi, non mortalis origo
 Gradivo genitæ, pugnae quem noxius usque
 Pulsat amor, hinc ipsa viro præstantior omni.
 Dixerat: hi risu dicta excepere, volansque
 Ajacis solido ferit ocyus hasta metallo
 Fulgentes ocreas, at non infixæ nitenti

Illa cuti, quamvis optans infigier. Hostis
Non etenim tali, pugna fervente, cruore
Spicula misceri funebria, fata sinebant.
At spreta in Phrygias heros se Virgine turmas
Infert, Æacidæque relinquit Amazona, quando
Morat Achilleo facili fore robore nisu
Sternendam, magnæ licet illa haud indiga laudis:
Accipitris veluti discerpitur ungue columba.
Interea jactis incassum femina telis
Multa dolet, gravibus quam dictis urget Achilles.
Quanta moves insana tumens vano ore puella
Nostras ausa manus incensa lacescere bello,
Queis nullus primos heros non cedit honores,
Et quibus altitonans generis Saturnius auctor.
Scilicet hac olim rapidus prostratus ab hasta,
Quamvis ense ferox assurgeret, ipse tremebat
Nos Hector, sumptis vel si vidisset in armis
Contra stare procul, celeresque in prælia ferri.
Ast tibi nunc animi certe mens excidit ausæ
Talia moliri, nobisque extrema minari.
Verum dementi summa imminet hora, nec ipse
Quippe mea jam te poterit divellere dextra
Mars pater, ast fatis mactabere victima, qualis
Sternenti tauros venit obvia cerva leoni.
An te densa latent Xanti prope flumina nostra
Corpora cæsa manu? quæ si tibi cognita, lævus

Consilium mentemque animi Deus abstulit, ut te
Immites raperent non æquo numine Parcæ.
Sic ait, immanemque ruens, longamque tremenda
Protendit dextra, Chiron quam fecerat hastam,
Exsertamque ferit pugnacis cuspide mammam
Virginis actutum: cruor ilicet effluit ater,
Deficiunt subito vires, ingensque bipennis
Corruit e manibus: rutilis nox incubat horrens
Luminibus, subitæque premunt præcordia curæ.
Quamquam spirat adhuc, abstracturique tuetur
Hostis equo celeri languentia corpora vultus:
Immanemque anceps hæret gladiumne recludat,
Et rapide motus maneat properantis Achillis:
An præceps ab equo subito delapsa volucris
Supplicibus votis hostem roget, æris acervos,
Atque auri spondens pretiosi pondera: quando hæc
Corda virum penitus, licet infensissima, tangunt:
Si saltem his duri vis molliretur Achillis:
Aut etiam paribus victor compulsus ab annis
Optantem ad patrias ultro dimitteret oras.
Talia mente fovet, sed numina talibus obstant.
Quippe ruens heros ingenti fervidus ira
Alipedem, stratamque simul fodit ære puellam.
Ceu propere mensas instauraturus ad ignes
Flammantes veribus qui pingua trajicit exta;
Aut velut in summo jaculatus monte sonorum

Missile venator cervam medio inguine figit .
Tum subito præter ferrum volat , imaque sese
Aeriæ quercus , piceæve in viscera condit .
Talis equus forma præstans , et Virginis artus
Æacidæ dira penitus figuntur ab hasta .
Illa cadit , letoque licet complexa , soloque ,
Sternitur apta tamen , nec corpora damna pudoris
Ulla decora ferunt , sed in ilia tota recumbit
Circum hastile tremens , et equo connixa volucris .
Ceu Borea quercus celsissima fracta procaci ,
Quam longis tellus in vallibus , et nemore alto
Educat ad fontem , proprio se jactat honore .
Talis prona fero celeri , nec forma recedit ,
Penthesilea cadit , sed frangitur hasta cadenti .

Ast illam ut Teucris cæsam videre per agmen
Patria tecta fuga densi petiere , nefando
Pectora concussi luctu . Ceu per freta ponti
Lata , furente Noto , submersa gurgite puppi ,
Exitium pauci superant mala plurima nautæ
Fluctibus in tumidis passi : tum proxima sese
Si tandem prodit tellus , urbesque , labore
Contendunt fractis petere ocyus artibus oras
E pelago , navemque dolent , sociosque sub atram
Quos fera præcipites tempestas impulit undam .
Haud secus ex acie fugientes Troes ad urbem
Invicto genitam plorabant Marte puellam ,

Quotque sub infanda ceciderunt corpora pugna
Tum sic Æacides cæsam ridere superbus .
Pulverulenta jace volucrum jam præda, canumque
Infelix ; quis enim te pessimus auctor ad ista
Compulit arma ? Senis num munera larga tyranni
Exportaturam reducem te forte putabas
E pugna , Danaûm post edita funera ? Sed non
Hoc tibi Dî dederunt , nobis summa indita quando
Virtus , qui Grajûm ferimur decora alta , malumque
Trojugenûm , miseræque tui , quam tristia fata ,
Et præceps animus , tela pensoque relictis ,
Jussit ad arma , viris vel formidanda , venire .
Talia fatus equo celeri , miseraque receptat
Virgine Pelides hastam : tremuere recussa
Bina neci telo data corpora nuper ab uno .
Mox galeam nitido de vertice deripit , instar ,
Phœbe , tui , Jovis aut ignis de more micantem .
Illa licet putrique solo , cædique recenti
Mixta , decus frontis tamen exserit ore nitenti
Exanimis : præter quam demirantur euntes
Adsimilem Danai forma præstante Dearum .
Namque armata Jovis ceu nata Diana jacebat ,
Acria componit cum somno membra , fugaces
Fessa feras celsis agitando in montibus arcu .
Ipsa comas evincta rosis Cythereja , pellex
Gradivi , lætos extinctæ afflarat honores ,

Ne nullo gemerent Pelidæ corda dolore .
Multi illam patriæ reduces ad litora terræ
Optavere sibi geniali jungere lecto .
Quin etiam Æacidæ mens angitur ægra , perempta
Virgine , quæ Phthiæ ducenda feracis equorum
Ad fines fuerat Dîs uxor parta secundis .

Quippe Deæ toto referebat corpore formam .
At curis Mars ob gnatam concussus acerbis
Dira dolet , subitoque furens erumpit Olympo .
Ceu Pater horrendum magno cum murmure telum
Intorquet , dextra præceps emissa tremenda
Flamma rubens freta lata super , super ardua mundi
Saxa volat : moles impulsa tremiscit Olympi .
Immenso Mavors sic indignatus ab axe
Devolat arma tenens , ubi lamentabile natæ
Fatum audit : cælo nam dum spatiaturo aperto
Protinus e Borea genitæ venere fugaces ,
Et funus caræ tulerunt miserabile prolis
Auræ : ritu ergo properavit turbinis , Idæ
Vertice consistens : valles tremuere patentes
Sub pedibus , fluviique , cavaque voragine rupes ,
Quâque viret tellus Idæ subjecta profundæ .
Et fors illa malum lux exitale tulisset
Myrmidosin , sævam cælo ni Juppiter alto ,
Ignibus horrificis , et iniquo fulmine mentem
Territet ipse Dei : crebros quippe ætheris ignes

Flammivomi plantas circumvolitare furentis
 Cernere erat, Jovis agnovit quibus ille tonantis
 Terrificum murmur, cursumque repressit anhelum,
 Quamlibet arma fero raperetur in horrida corde.
 Ac veluti summo moles cum saxea monte
 Vellitur effuso ventis jactantibus imbre,
 Imbre quidem, teloque Jovis, dant murmura valles
 Præcipiti lapsu dum volvitur: illa fragores
 Assultans geminat crebros, plano æquore donec
 Sistitur invento non sponte immobilis, et stat.
 Sic Jovis invitus proles acerrima Mavors
 Substitit, irarum quamvis jactatus ab æstu:
 Quippe Deum Regi Divum se subjicit omnis
 Turba, decus summum cui, summaque juncta potestas.
 Ipse animum in diversa rapit, jamque astra, remenso
 Æthere, terribili peteret Jovis actus ab ira;
 Jamque indignatum temnens fœdaret Achillis
 Indomitas in cæde manus: subit inde Parentis
 Natorum quam multa neci data corpora bello,
 Juppiter auxilio nec juverit: hinc procul egit
 Se ferus a Grajis, ne statos forte Gigantas,
 Luctifico Patris dejectus ab igne, referret:
 Æternoque Dei paret mens conscia Patri.

At bona Grajugentum bello gens fœda cruore
 Protinus arma rapit media de cæde recepta
 Sæva furens late: dolor angit acerbus Achillem

Pulvere commixtos cernentem Virginis artus,
Dulce decus formæ, contabescitque tuendo,
Non minus a cari quam nuper cæde Patrocli.
Quem coram dictis Thersites urget amaris.
Nam tibi quis mentem Deus aufert lævus, Achilleu,
Virginis ob funus mala nobis tanta moventis?
Quæ tibi, cui molles animi, nunc exedit inum
Pectus, sponsa foret velut optima, dote parata
Regali, cupidoque hæsisset nupta marito.
Oh utinam te dira prius fixisset arundo
Intima femineæ cui carpunt pectora flammæ!
Degeneres animi nam nulla decora morantur
Facta tui, coram si femina venerit. Ecquo,
Infelix, robur? quo mens? quo rege recessit
Dignus honos? nescis quo pestis iniqua dolore
Femineo steterit quæ surgit ab agmine Teucris?
Nil turpi pejus Venere est mortalibus, ob quam
Desipiunt qui mente valent. It juncta labori
Gloria. Vincendo miles claratur, et armis
Gaudet honoratis: thalamo capiuntur inertes.
Talibus increpitat, cum fervidus acer ab ira
Pelides aurem pugno, malamque potenti
Jurgantis ferit actutum, dentesque refixi
Defluxere solo: miser ipse volutus, ab ore
Cædis flumen agit, nulloque decorus honore
Spiritus imbelli subito de corpore cedit.

Gaudet Achivorum gens omnis: quippe malignis
Ille dicax verbis incessere quemque solebat,
Rideri dignus, labesque pudenda Pelasgum.
Tum quis belligeros hæc inter fatur Achæos,
Ille palam, coramque gravi compulsus ab ira.
Est Themis: accitas penduntque procacia pœnas
Omnia ora novo nunquam non aspera morsu.
Sic aliquis memorat Danaum, cum maximus heros
Has indignato rupit de pectore voces.
Immemor insanæ jaceas in pulvere mentis:
Fortibus imbelles nam non insurgere fas est.
Scilicet ante boni, nimiumque ferentis Ulisæi
Pectus acerbasti convicia fœda vomendo,
Non talem expertus Peliden, qui tua vita
Corpora vix aliquo spoliavi robore dextræ,
Teque severa nigris complexa est Parca tenebris,
Desidia mactate tua: sed ab agmine Grajùm
Cede procul, jacitoque inter tua jurgia manes.
Talibus Æacides dejectum vocibus urget.
Unus at e turba Tydides jurgat Achillem
Argolica miseri Thersitæ ob funera, quando
Jactat uterque genus commune: hic namque decori
Egregium Tydei germen, verum Agrius illum
Ediderat dius, frater magni Agrius Ænei,
Tydea mox Æneus fertur genuisse, Pelasgos
Inter Marte bonum, Diomedes quo satus acer.

Hinc graviter cædem Thersitæ passus , in ipsum
Surgeret Æaciden , ni virtus optima Grajûm
Densa utrinque viros verbis tenuisset amicis .
Quippe inter sese concurrere lumina Achivûm
Ensibus ardebant stimulis furialibus acta :
Attamen et sociis parent , et dicta secundant .
• Reginam interea miseratus uterque decoram
Atrides , formamque Deæ miratus , et ipsam ,
Ipsius et claris dederunt ad mœnia Teucris
Arma vehenda , senis Priami sententia postquam
Edita præmissis ex oratoribus huc est .
Arma etenim, alipedemque, Viraginis ossaque Regi,
Laomedonteꝝ steterat mandare sepulcro .
Hinc celsam ante urbem , vastaque exurgere jussit
Mole pyram , fortis quæ frigida membra superne
Virginis excepit , magno cum pondere gazæ :
Qualis pompa decet Reginæ funus opimæ .
Illam ubi flamma vorax , Vulcani vis gravis , hausit :
Ocyus ardentis circum undique fusa favillas
Restinxere pyræ fragranti turba Lyæo .
Lectaque odoratis , quantum satis , ossa remissent
Unguinibus , mæstique cavo sub marmore ponunt ;
Omentum infunduntque bovis præpingue , gregales
Idæi ante alias quæ formosissima montis .
Quam , gnatam veluti caram , flere dolentes ,
Firmaque Dardani dæ tumularunt mania circum

Aeria in turri , cineres prope Laomedontis :
 Gratum opus et Marti , gratum ipsi et Penthesileæ
 Proxima Amazonidum conduntur fida peremptæ
 Turba comes , Danao pariter sub Marte caduca .
 Flebile nam cineri non invidere sepulcrum
 Atridæ , ast illas , sociûmque cadavera Teucris
 Fortibus , e mediis dederunt rapienda sagittis .
 Non ultra certare odiis in morte , sed æquos
 Hostibus esse decet , cum mens inimica recessit .
 Nec minus heroum congesta cadavera flammis
 Dant Danaï secreta , eadem quos fata tulere
 Trojugenûm , pugna late fervente , sub armis :
 Multa super tali lugentes cæde . Podarci
 Præcipuusque dolor , crinesque sacrantur , adempto
 Fratrem , Pelasgorum spe magna , Protesilao :
 Nam bonus a forti jacet Hectore Protesilaus :
 Ipse autem ferro prostratus Penthesileæ ,
 Agmina crudeli concussit Achiva dolore .
 Ergo diversa cæsorum in parte sepulcro
 Corpora dant : olli multo constructa labore
 Busta parant opere insigni , quod fortis , et acer .
 Turpe quoque imbellis Thersitæ corpus humarunt
 Sepositum , æratas hinc et petiere carinas ,
 Æacidæ læti celebrantes robur Achillei .

Jamque sub Oceano se clara receperat Eos ,
 Et terras complexa diem dea condiderat Nox ,

Cum ferus Atridæ tentoria divitis intra
Pelides epulis, epulis se læta Pelasgûm
Turba ducum recreant, Auroræ ad lumina diæ.

FINIS.
